



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magvntino Et Magdebvrgensi Archiepiscopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ras, tuaque novissima primis & mediis hujus peccati merito non concordent. Datum Laterani v. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

*DILECTO FILIO GUALÆ
sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardi-
nali, apostolicæ sedis Legato.*

*Epist. 183.
Super eodem.*

Super causa conjugij carissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Francorum illustri scribimus in hunc modum. *Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius Guido nuntius tuus &c. ut in alia usque in finem.* Ideoque discretioni tuæ, fili Legate, per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus secundum formam præscriptam prævia ratione procedas. Datum Laterani &c.

*MAGVNTINO ET MAGDEBVRGENSI
Archiepiscopis.*

*Epist. 184.
De matrimo-
nio Regis
Boemiarum.
* Orthodoxarum.
Vide supra lib.
2. epist. 188. &
cap. Constitutio-
nis, De testib.*

Olim per litteras à venerabili fratre nostro Avelbergensi Episcopo & dilecto filio Abbate in Sichen nobis destinatas accepimus quòd cum * O. illustrem Regem Boemiarum super causa matrimonij quæ vertitur inter ipsum & nobilem mulierem A. sororem Marchionis Misnensis auctoritate tam nostra quam Legatorum nostrorum peremptoriè citavissent, parte mulieris ipsius in eorum præsentia comparente, idem Rex contumaciter se subtrahit. Cùm autem ab ejusdem mulieris fuisset parte propositum quòd memoratus Rex B. Presbyterum, quem præfati iudices cum litteris citatoris miserant ad eundem, capi fecerat & arctæ custodiæ mancipari, ac iidem iudices post peremptoriàm diem biduo expectassent si forsan aliquis pro præfato Rege in eorum præsentia compareret, quia demum jam die tertia probato per testes idoneos quòd pervenerant litteræ citationis ad ipsum, suam manifestè contumaciam cognoverunt, excommunicationis in eum sententiam protulere. Cùm igitur dictus Rex diceretur recusasse prædictos iudices ut suspectos, venerabili fratri nostro Hostiensi Episcopo & dilecto filio Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali, quibus tunc fuerat pro causis Imperij ac Ecclesiæ ad partes illas officium legationis injunctum, dedimus in mandatis quatinus juratoria cautione ab ipso Rege recepta quòd juri pareret, beneficium impenderent absolutionis eidem, & inquirerent, sit tamen possent ad hoc intendere, per seipsos, vel facerent per aliquos idoneos viros inquiri

utrum prædicti iudices ab ipso possent rationabiliter recusari; quòd si forent rationabiliter recusati, audirent causam vel facerent audiri appellatione remota, ita quòd cum esset usque ad sententiam in ipsa processum, nobis remitteretur instructa, præfixo partibus termino competente quo se per procuratores idoneos nostro conspectui præsentarent justam auctore Deo sententiam recepturam; alioquin partes ad priorum iudicum remitterentur examen. Verùm quoniam ipsi Legati, propter miserabilem illum eventum qui rerum statum inopinata morte Principis immutavit, de arrepto legationis itinere recedentes, eis intendere nequiverunt, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus absoluto præfato Rege secundum formam præscriptam, inquiratis sollicitè per vos ipsos utrum iudices antedicti possint ab eo rationabiliter recusari, & in ceteris mandatum apostolicum, quod prædictis fuit Legatis injunctum, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequi procuretis. Datum Laterani 11. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

*VNIVERSIS CHRISTI
fidelibus per Lombardiam & Marchiam
constitutis.*

Vtinam Dominus & nobis efficacem sermonem & vobis ac aliis perfectum largiretur auditum; ut quod de celestis Regis obsequio suademus, saltem per parabola inducanimi Regis temporalis implere, qui cùm servorum suorum culpa regnum proprium amisisset, ad recuperationem ipsius auxilium sæpe flagitavit eorum; quibus ei non solum illud impendere contumaciter recusantibus, quin immo manus suas convertentibus hostiliter in se ipsos, ipse demum propria recuperavit potentia regnum suum. Num igitur quis ex vobis tam misericors est vel demens qui si vice Regis hujusmodi fungeretur, accepto tempore justitiam judicandi servos tales, tamquam regios proditores & perfidos infideles, exilio vel incendio, suspendio, sive forsan alio duriori supplicio non puniret, ut malis malè perditis, in eorum bona fideles alios subrogaret? Porrò si sic Rex faceret temporalis, qui solum in corpore potestatem haberet, quanto magis Dominus Iesus Christus Rex Regum & Dominus dominantium, qui & corpus & animam nobis contulit, & utrumque potens est mittere in gehennam, de ingratitude

*Epist. 185.
De successu
terre sancte.*